



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CXVII. Si vis evadere infernum, fuge, dum tempus est, ad crucifixum Jesum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO CXVII.

Si vis evadere infernum, fuge, dum tempus est, ad crucifixum JESUM.

Nisi quia Dominus adjuvit me: paulò minus habitasset in inferno anima mea. Psal. 93. 17.

I.

R Edè Propheta Apocalypticus & dilectus Christi Discipulus: *Quis non timebit te Domine? Et rationem subdit: Quia solus pius* Apoc. 15. 4. *es. Quis, obsecro, hic non obstupescat tam mirabilem loquendi modum, DEum & crucifixum hominem JESUM ideò esse timendum, quia solus pius est? Si dixisset Apostolus, quia austerus, quia justus, quia rigorosus es, causam & justissimam haberemus rationem timendi eum; sed quia pius est, mitis & humilis corde & insuper peccatores recipit, cur illum tantoperè timeamus?*

Audi hanc ipsam Veritatem tuæ salutis amantissimam, dum multisturbis circumstantibus, & se invicem conculcantibus dixit: *Dico* Luc. 12. 4. *autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent ampliùs quid faciant: Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis hunc timete. Ecce piissimus est Dominus, & patiens in ligno pro homine indigno, vult tamen timeri ut Judex integerrimus, & amari ut pater amantissimus. Proinde dum tempus est, ad eum in crucem suffixum fugiamus, ne in morte æternis ab ipso deudemur suppliciis,* Apoc. 1. 18. *habet enim claves mortis & inferni.*

2. Quando Core, Dathan & Abiron Moyfi rebellantes, vivi à terra absorpti sunt: *Descenderuntque vivi in infernum,* observat Scriptura, Num. 16 33. *quòd ad hoc horrendum spectaculum omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugerit ad clamorem pereuntium, dicens: Ne forte & nos terra deglutiat.*

Anima Christiana! heu! quot hæctenus myriades & milliones hominum, quia per peccatum DEO rebelles erant, descenderunt in infernum?

fernum? Si non vis pariter ad hunc tormentorum venire locum, fuge juxta exemplum prædictorum Israelitarum, fuge, fuge ad clamorem tot millium pereuntium, ne forte in morte & te terra degluciat, & descendas in infernum. Sed dices: Quò fugiam à facie irati Numinis? **Pfal. 30. 16.** Citò dico: ad crucifixum JESUM: *In manibus tuis sortes mea*, dicebat quondam David in manibus videlicet vulneratis, sanguineis & cruci affixis, in his tota spes salutis nostræ debet esse reposita: O beata fors in manibus Christi vulneratis, imò terebratis. Sunt qui se existimant beatos, si bonis fortunæ affluunt, si in gratiis naturæ triumphant. Ego autem cum Vate Regio omnem meam sortem in Vulneribus Salvatoris mei ejusdem manibus insculptis locabo: *Deus meus es tu, in manibus tuis sortes mea.*

Gen. 19. 17.

3. Loth, ne cum Sodomitis combureretur, per duos Angelos ab hoc incendio mirabiliter ereptus est, cui in via dixerunt: *Salva animam tuam: in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas.* Anime mi! Si ab incendio gehennali vis liberari, & salvari in æternum: *In monte saluum te fac*, hoc est in Calvario monte, ubi salus nostra in cruce pependit, ubi Christus triumphavit, ubi gehennam, mortem & diabolium superavit. O felix pietatis mons!

Math. 23. 33.

Christus paulò antemortem crucis, hoc est die Martis post Dominicam Palmarum, improbis & obstinatis Judæis mirandam ac simul tremendam proposuit quæstionem: *Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehenna?* Ignosce Domine! ego scio modum,

Jo. 6. 69.

quo possumus effugere à judicio gehennæ: *Domine, ad quem ibimus?* dicebat quondam Petrus, *verba vitæ æternæ habes.* Sic & nos faciemus. Ad te ergo ibimus, ô mi JESU! ô Amor! crucifixe! ad te ibimus, etiam si nobis miniteris infernum, ibimus tamen ad te, ad tua SS. merita &

Math. 11. 28.

Vulnera curremus, verba enim vitæ æternæ habes: *Venite ad me omnes.*

Math. 7. 14.

4. Visne scire, anime mi! Num sis futurus inter multos damnandos, an inter paucos salvandos? Audi veritatem non sine gemitu ac suspirio an populum Judaicum clamantem: *Quam angusta porta, & ardua via est, qua ducit ad vitam: Et pauci sunt, qui inveniunt eam.* Nota hic, quòd prius jam dixerat: *Lata porta, & spatiosa via est, qua ducit ad perditionem: Et multi sunt, qui intrant per eam.* Credisne hoc homo Christiane? Qualem igitur viam vis amplecti, & ad qualem te flectere portam? An ad latam, vel angustam?

Sandæus in donario Julii. p. 67.

5. Urbanus IV. Pontifex Maximus, cum nunc per portam in templum Lateranensè S. Joannis Romæ introduceretur, illique Musici ad accensam stupam præcinerent: *Pater sancte, sic transi gloria mundi.* memor suæ salutis & finis, non sine subortis lacrymis, hoc sibi familiare symbo-

symbolum elegit, Cor scilicet ad pedes Crucifixi inter spinas palpitans cum epigraphe: *Recordare novissimorum*, non enim ignorabat sapientissimus Pontifex illa Veritatis verba: *Contendite intrare per angustam portam*: Luc. 13. 24. Græcus textus habet: *Agonizate, vel quasi in agone contendite*. Præivit hanc viam ipse Christus, & hac de causâ primi Christiani ultrò se obtulerunt martyriò &c. Et quid tu? quomodo te mortificas? Sed resume animum, mœstumque timorem mitte. Ecce ostendo tibi non unam, sed quinque cœli portas, angustas quidem, sed unam latissimam, per quam omnes, si volunt, possunt intrare ad vitam. Portæ autem hæc sunt quinque SS. Vulnera JESU, quatuor angustæ, sed una latissima, de quibus S. Augustinus: *Clavi & lancea clamant mihi, quòd verè reconciliatus sum Christo, si eum amavero: Longinus aperuit mihi latus Christi lanceâ, & ego intravi, & ibi requiesco securus*. Idcirco Beatissima Virgo S. Brigittæ suasit frequentem Christi Filii sui crucifixi memoriam, dicens: *Apertas esse Christi Sanguine cœli portas, & addit: Hac filia mea cogita, & habeto semper præ oculis, & sic inferni portas non intrabis*. Aug. c. 23. Manual. Revel. S. Birg. lib. 1.

6. S. Ephrem loquens de Christo in cruce patiente hæc dignissima verba mortalitati humanæ reliquit: *Seraphin, ait, illâ hora alis ad invicem collisisse visa sunt, præ admiratione scilicet & indignatione tanti sceleris, quòd Dei Filius ab impiis Judæis & peccatoribus in crucem actus, & occisus sit*. Postea gratias crucifixo Domino agens pro tot exantlatis doloribus: rogat: *Quaso operiat me manus tua sub alis suis: & liberet animam meam à sempiterno igne*. Hoc fac & tu; cum dolore & amore accede, præsertim ante confessionem, ad crucifixum JESUM, ut te sanguine suo lavet, qui *paleas comburet igne inextinguibili; defige sæpius in illum attentos oculos, & gratias illi age quàm potes tenerrimas pro dolore & amore, quo te ab inferno & æterno redemit dolore: Ab interitu infernali, ait S. Antoninus, redimit Deus hominem toties, quoties mortalem remisit*. Et quoties fortasse, anime mi, hæc tibi gratia facta est? Et tu adhuc stas immotus, & DEO Salvatori tuo ingratus? Matth. 3. 12. Luc. 3. 17. S. Antonin. p. 2. Tit. 3. c. 9. §. 10.

7. Ex his hæctenus enarratis intelligo Davidis sententiam, quam huic considerationi in fronte præfixi: *Nisi quia Dominus adjuvit me paulò minus habitasset in inferno anima mea*. Periisset sine dubio anima mea, & mortalium omnium, nisi crucifixus per merita & passionem nos adjuvisset. Agnovit hanc veritatem Beatus Francus, à vita seculari & liberiori subito ad sanctiorem conversus, cui Christus in cruce cruentus apparens, dixit, ut ad se & ad meliorem rediret frugem; Audiit hoc juvenis tremebundus, & sine mora ad admirabilem corporis aliàs delicati afflictionem accensus est, & sic inferni poenas evasit; cui denique Beatissima Virgo inter Angelos apparens, dicebat, *Ginther Unus pro omnibus*. psal. 93. 17. Jo. Nadas. 11. Decembr.

K k k

pecca-

peccata illius esse à DEO dimissa, & preces exauditas. Ecce quid possit crucifixi contemplatio!

Ex vita
16. Junii

Huic adjungo S. L. t. g. r. d. e. m. V. g. i. n. e. m., cui duodecim annos natæ, & incautè cum nobili quodam adolescente collocatæ, Christus apparuit, monstrans per hians lateris vulnus Sacratissimum Cor suum, ac dicens, ut posthabito quocunque alio mundano amore, se solum amaret, & quæreret; paruit illa, & juveni ad se paulò post reverso cum S. Agnete dixit: *Discede à me pabulum mortis, quia jam ab alio amatore prævienta sum.* Discessit ille confusus; Et ecce Christum Crucifixum de novo obvium habuit, qui eam brachio & amplexu ad Cor suum & lateris vulnus, ut ex hac cella vinaria biberet, invitavit, & admovit; cui denique moribundæ à Christo dictum est: *Propè est laborum tuorum finis, neque diutiùs à me separari patiar;* Quibus dictis feliciter animam suam in manus Domini expiravit. O felix mors! o beata fors! Sed quid mihi & tibi aliquando, o mi Lector?



CONSIDERATIO CXVIII.

Crux Domini nostri Jesu Christi miseris & afflictis spes unica rebus,

Deus noster refugium & virtus: adjutor in tribulationibus, qua invenerunt nos nimis. Psal. 45. 2.

1.

3. Reg. 17. 12.
Cornel. hic,

Mullieri illi Serepthanæ in extrema fame & annonæ caritate ultimum refugium fuit unicus farinae pugillus, & duo ligna, quibus suam consolabatur inopiam; unde dicebat ad Eliam Prophetam panem & aquam ab ipsa postulantem: *Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farina hydria: En colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illam mihi & filio meo, ut comedamus, & moriamur.*

Lanfrancus & alii apud Cornelium per farinae hydriam Panem Eucharisticum intelligunt, qui quotidie à fidelibus comeditur, nec tamen